



P Aulus honesta familia apud Glaronenses in
 Heluetia natus, & omni genere uirtutum edu-
 catus est. Quamprimum uero adoleuisset, exteris
 nationes inuisit, atque multarum rerum cognitione
 adeptus est. pari industria Heluetiorum castra secur-
 tus, magnam rei militaris peritiam sibi comparuit.
 Itaque cum in patria reuersus esset, honestis officijs de-
 corat, atque tandem, pro more eius gentis, commu-
 nib. suffragijs Amannus eligitur. Est is magistratus
 in Heluetiorum pagis summus, quem in alijs locis
 consulatum uocant. Hasce functiones Paulus ma-
 gna diligentia administravit, atque ut summa æqui-
 tate omnia in Glaronensium ditione peragerent,
 curauit. In primis autem religionem amabat, atque ueram doctrinam Euange-
 lij intelligebat. Itaque cum alijs prudentissimis uiris suis ciuibus author fuit, ut
 sub autumnum anno 1560 religionis mutatio Glaronæ fieret, atque Missa subla-
 ta Euangelium reciperetur. Hanc autem mutationem magni motus subsecu-
 ti, præsertim cum vicini Heluetij eam iniquo animo tulissent. Verum pruden-
 tum uirorum consilio omnis similitas tandem inter Heluetios sublata fuit. Eo
 tempore Paulus in percepta religione constans permanxit, & passim in Helue-
 torum comitijs suæ patriæ legatus existens, omnia singulari prudentia peregit.
 Itaque factum ut pace restaurata ab eius regionis incolis instar patris diligere-
 tur. Hoc modo is, ueneranda canitie insignis, etiamnum pergit, atque
 multis corporis & animi uirtutibus patriam exornat. A
 nonymos.